



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum accidens in communi immediatè diuidatur in quantitate[m],
qualitate[m], & alia summa genera accidentiu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

& essentias rerum inquirat. Atq; hac ratione sub his etiam generibus diuidendo procedit per omnia entium genera saltem vsque ad illas specificas rationes, quæ à materia sensibili & intelligibili abstrahunt: alias enim, quæ materialiores sunt, eatenus tantum attingit, quatenus ad suas diuisiones perficiendas necessariæ sunt, vt in disput. proœmiali declarauimus. Quoniam igitur de substantia iam differuimus, superest nobis dicendum de diuisione accidentis in nouem genera: atque ita manebit completa, & explicata diuisio entis in decem genera, seu prædicamenta. Postea vero, sicut in substantia fecimus, ita in singulis accidentium generibus per omnes eorum gradus subalternos vel específicos discurremus, quantum latitudo obiecti Metaphysicæ postulare aut permittere videbitur. De hac autem diuisione tria in communi consideranda occurrunt, nimirum de immediate eius, de sufficientia, ac demum de qualitate seu Analogia eius.

SECTIO I.

Utrum accidens in communi immediate diuidatur in quantitatem, qualitatem, & alia summa genera accidentium.

Ratio dubitandi est, quia multis modis videtur posse accidens diuidi in pauciora membra, quæ illa nouem sub se complectantur: ergo non est immediata diuisio, sed implicite continens & transiit (vt ita dicam) plures immediatiores. Antecedens patet primo: nam accidens diuidendum prius videtur in completum, & incompletum. Quod enim inter accidentia illa duo membra inueniantur, negari non potest, tum quia quædam accidentia ponuntur directe in prædicamento, alia reductiue, tum etiam, quia dantur accidentia partialia & integræ: ergo sicut ob has causas diuiditur substantia in completam & incompletam, ita etiam accidens. Vnde sic ut illa diuisio adæquata est substantiæ, ita hæc erit accidenti. Et sicut in substantia necessaria fuit ad constituendum supremum genus, ita in præsentia magis necessaria videtur ad constituenda & distinguenda suprema genera. Quia alias vel non erit adæquata diuisio accidentis, prout distinguitur à substantia sub ente, vel non complectetur omnia, quæ in diuisio continentur. Quia nouem genera summa tantum sub se continent accidentia completa.

Atque hinc oritur secunda difficultas, cur videlicet hæc non præmittatur diuisio accidentis in primum & secundum seu in singulare & vniuersale. Sicut diuisa est substantia in primam & secundam: quia non est dubium, quin illa duo membra etiam in accidentibus inueniantur & exhauriant diuisum, & consequenter sint immediatiora, cum in vnoquoque prædicamento accidentis inueniantur.

Tertia ac præcipua difficultas est: quia accidens ordine prime diuidi potest in illud, quod est propria forma realis inhærens substantiæ, & illud, quod tantum est modus realis afficiens substantiam extra rationem & complementum eius. Nam quod dantur hi duo modi accidentium, certum nobis est, & superius probatum. Quod vero inter se valde diuersi sint, patet ex ipsa ratione afficiendi substantiam, quam habet valde diuersam: & ex diuerso modo, quo à substantia distinguuntur: ac denique ex ipsa ratione entitatis & modi realis, quæ pertinent ad primarias entis differentias, vt supra disp. 7. declarauimus. Quod denique illa duo membra adæquate diuidant accidens, patet, quia includunt immediatam oppositionem & contradictionem: unde non potest excogitari medium seu accides, quod non sit entitas aut modus afficiens substantiam. Quo tandem fit, vt omnia nouem ge-

nera accidentium sub illis membris contineantur, quæ proinde in ea subdiuidi poterunt. Igitur hæc etiam ratione illa diuisio non est immediata, sed mediata.

Quarta difficultas generalis est de multis aliis conuenientis & differentis, quæ inter illa membra reperiuntur, ratione quarum confici possunt plures diuisiones immediatiores. Vt verbi gratia, diuidi posset accidens in absolutum & respectuum, & absolutum rursus in quantitatem & qualitatem, & respectuum in respectuum secundum esse seu prædicamentale, quod proprie dicitur ad aliud, & respectuum secundum dici transcendente, quod potest ulterius diuidi in alia sex genera. Rursus posset diuidi accidens in spirituale & materiale. Et rursus hæc duo membra posset in alia subdiuidi vsque ad vltimas accidentium species. Item potest diuidi accidens in communi in permanens & successuum, & sic ulterius vsque ad vltimas species. Actandem diuidi potest & maxime proprie in accidens intrinsece afficiens substantiam, & extrinsece tantum denominans: vt prius membrum subdiuidatur in tria prima prædicamenta: posterius autem sex vltima sub se contineat, vt multi volunt.

In contrarium autem est, quia si illa diuisio non esset immediata, neque esset doctrinalis, neque in rigore sufficiens. Primum patet, quia diuisio, vt recte tradita sit, debet per omnes differentias vel modos proximis vsque ad remotiora membra procedere: alias valde imperfecte explicabit naturam diuisi. Secundum patet, quia qua ratione numerantur tot membra mediata seu remota, posset multo plura numerari, quæ distinctius declararent amplitudinem accidentis: non potest ergo certa aliqua ratio illius diuisionis tradi, nisi immediata sit.

Notationes ad questionis resolutionem.

DE hac questione nihil fere inuenio ab authoribus dictum, quia vix hanc diuisionem in particulari explicant, sed eam cum diuisione entis in decem prædicamenta confundunt, tamen cum illam tradant tanquam aliquo modo immediatam, à fortiori idem dicent de præsentia diuisione. Omnes tamen in hoc tantum videntur immediationem ponere, quod genera summa, cum sint primo diuersa, in nullo conueniunt, iuxta doctrinam Arist. 5. Met. c. 9. & lib. 10. cap. 5. vbi hoc discrimen ponit inter ea, quæ proprie differunt, & quæ diuersa sunt, quia illa aliquo differunt, nam etiã in aliquo sunt vnum: hæc vero non aliquo differunt, sed se ipsis, quia in nullo conueniunt: cuiusmodi sunt summa prædicamentorum genera. Veruntamen hæc sola responsio non videtur sufficiens ad hanc rem explicandam; nam cum dicuntur summa genera accidentium in nullo conuenire, vel est sensus, quod in nullo prædicato transcendentali siue vniuersali, siue analogo conueniãt, vel quod nullum proprium genus habeat commune, Prior sensus est manifeste falsus: & ideo in opposito sensu negari non potest, quin sicut prædicamenta accidentium, & inter se & cum substantia habent aliquam conuenientiam in ratione entis, ita in ratione accidentis habeant inter se aliquam conuenientiam, quam non habent cum substantia, quæ necesse est esse in aliqua ratione sibi magis propria, & consequenter sibi etiam magis immediata, quam sit ratio entis: ergo pari modo negari non potest, quin inter quædam prædicamenta accidentium sint aliqua conuenientia propria & peculiare, quæ non sunt communes aliis generibus accidentium, vt manifeste probant rationes dubitandi propositæ: non possunt ergo genera accidentium dici primo diuersa, quia nullam huiusmodi conuenientiam habeant. Posterior autem sensus verus est, vt Sect. 3. latius videbimus: ille tamen non sufficit ad satisfaciendum difficultatibus positis, seu rationem reddendam, cur, sicut ens secundum

IV.

Quarta difficultas.

V.

VI.

dum generalem quendam modum essendi determinatur prius ad accidens, ut sic, & deinde ad accidentia magis determinata seu particularia, non ita accidens in communi intelligatur determinari per modos quosdam communes multis prædicamentis accidentium, prius quam ad propria prædicamenta seu genera accidentium contrahitur.

VII.

Aduertendum est igitur duobus modis dici posse unam diuisionem immediatiorem alia. Primo, quia per pauciora membra datur, quæ subdividi possunt per omnia membra alterius diuisionis. Secundo, quia differentia vel modi contrahentes diuisum in una diuisione, per se, & secundum proprium concipiendi modum fundatum in rebus, sunt medium inter diuisum & alia membra alterius diuisionis, ut est sensibile inter viuens, & rationale: & plura exempla vtriusque membri in seq. afferemus.

Questionis resolutio.

VIII.

Dicendum itaque est, diuisionem dictam non esse ita immediatam, quin possint alia immediationes excogitari, si absolute de quacunque diuisione per pauciora & generatiora membra loquamur, nihilominus tamen quatenus accidens proxime & adæquate diuidi potest in membra, quæ sint genera primo diuersa, illam diuisionem esse immediatam, & omnium aptissimam ad doctrinam tradendam. Priorem partem probant sufficienter exempla omnia, & argumenta in principio posita: ostendunt enim, ut dixi, aliqua prædicamenta accidentium habere inter se aliquas convenientias, vel similitudines non communes omnibus accidentibus, secundum quas confici possunt alia diuisiones per pauciora membra ulterius diuisibilia in res diuersorum prædicamentorum: ergo secundum illam concipiendi modum excogitari facile possunt diuisiones alia per membra immediatiora accidenti in communi: quidquid enim sub accidente commune est multis generibus, concipitur ut immediatius illis. Posterior vero pars declaratur, quia nullum potest dari genus commune diuersis prædicamentis accidentium, ut in Sect. 3. latius dicturi sumus: ergo quacunque ratione diuidatur accidens in pauciora, & communiora membra ulterius diuisibilia in res diuersorum prædicamentorum non diuiditur per membra, quæ sint vera genera: ergo si adæquate diuidi debuit per membra, quæ sint genera primo diuersa, id est, quæ in alio genere non conueniant non potuit aliter diuidi. Fuit autem necessarium tradere diuisionem accidentis in omnia genera primo diuersa dicto modo, ut omnium rerum quidditates & genera ac species possent iuxta doctrinam methodum inuestigari ac cognosci.

IX.
*Obiectioni
satisf.*

Dices, eadem ratione non fuisse nobis præmittendam diuisionem entis in substantiam & accidens, sed immediate diuidendum ens in decem genera. Respondetur, potuisse quidem id fieri, non tamen fuisse ita conueniens, neque esse parem rationem, tum quia oportuit communem rationem accidentis, quæ essentialis est omnibus accidentibus explicare, eamque cum substantia conferre, tum etiam quia ratio accidentis ut sic essentialis est, & positiua, & omnes modi, quibus genera accidentium constituuntur, & distinguuntur, proxime determinant essentialiter ipsam rationem accidentis, ut sic, & non rationem entis: & ideo sub accidente optime & immediate diuiduntur nouem genera. In aliis autem diuisionibus accidentis, quæ per pauciora membra tradi videtur, aut non reperitur coordinatio essentialis, secundum rationem inter modos constituentes talia membra, & eos, qui determinant genera accidentium: aut illi modi non sunt positiui, sed negatiui: aut non sunt essentialiter sed extrinseci, & accidentales: aut denique non possunt sub illis conuenienter subdividi genera primo diuersa. Quia interdum res eiusdem prædicamenti, tantum specie distinctæ inter se, continentur sub illis membris diuersis: & de contrario res diuersorum prædicamentorum ad idem membrum pertinent: quæ omnia declarabuntur commodius discurrendo per singula exempla superius posita.

Circa primam obiectionem tractatur diuisio accidentis in completum & incompletum.

Prima ergo obiectio erat de diuisione accidentis in incompletum & completum: in qua prima explicandum est, quid nomine accidentis completi & incompleti intelligatur. Quidam enim sola concreta accidentium intelligunt esse completa accidentia: incompleta autem esse accidentia in abstracto. Quia accidens concretum significat totum compositum, quod proprie completum est: abstractum vero accidens est sola forma, quæ incompletum quid est, natura sua ordinatum ad tale compositum constituendum. Vnde per actionem accidentalem non fit per se accidens abstractum, sed concretum, quia nimirum actio per se primo tendit ad completum ens, & ideo dixit Aristot. per calefactionem non fieri calorem, seu calidum. Tandem forma substantialis est res incompleta: ergo multo magis forma accidentalis in abstracto sumpta.

Sed hæc sententia probari non potest: aut enim concretum accidentis sumitur ratione solius forme, vel ratione totius compositi ex materiali & formali: sub priori ratione vere dici potest accidens, sub posteriori autem non tam dici potest accidens, quam ens per accidens: ut illud appellat Aristoteles 7. Metaph. cap. 6. & dictum à nobis est disp. 4. Sect. 3. Quapropter cauenda est æquiuocatio de nomine accidentis, quam declarare possumus ad eum modum, quo Arist. distinguit nomen accidentis lib. 5. Met. cap. 30. ubi ait, accidens interdum vocari aliquid, quia fortuito euenit, quod solum dicitur accidens, quia per accidens contingit: proprie vero accidens dicitur quod inest alicui extra rei essentia: si ergo concretum accidentis ratione totius compositi vocari potest accidens, quia per accidens in eo congregantur res diuersorum generum: quamquam illud per accidens, non significet fortuitam congregationem, sed solum accidentariam coniunctionem plurium rerum, non tamen potest illud compositum proprie accidens appellari, ut à substantia distinguitur, cum in illo substantia includatur. Propter quod recte sentiunt, qui negant, hæc concreta sic considerata in prædicamento collocari, quia neque in prædicamento substantiæ, neque in prædicamento accidentis collocari possunt. Et quia in prædicamentis non entia per accidens, sed per se collocari possunt. A fortiori ergo tale concretum sic spectatum non potest appellari accidens completum, quia quod accidens non est, nec completum accidens esse potest. Immo nec ens completum potest proprie vocari, quia re vera solum ens per se unum est proprie completum ens. Vnde si subiectum illius compositi sit substantia completa, compositum ipsum ex substantia & accidente erit plusquam completum, & ideo erit proprie ens per accidens.

At vero si loquamur de illo concreto ratione solius formalis, sic dici quidem potest accidens completum, tamē non est eundem accidens abstractum incompletum censetur, quia concretum pro formali tantum dicit ipsam formam accidentalem, iuxta veriori & communiter receptam sententiam Diui Thomæ, & Commentatoris 5. Metaphysicæ text. 14. Qui consequenter aiunt contra Auicennam in sua Logica: concretum & abstractum accidentis formaliter ac præcipue idem significare, solumque dif-

forte, quia concretum dicit ipsam formam vt actu
informantem subiectum, & constituentem concre-
tum ipsum, abstractum vero precise dicit ipsam for-
mam acti per se esse. Hæc autem differentia non est
quæquam alium, qui a actualis in hæsiō, quam magis
eximit album, solum est quidam modus formæ
accidentalitis, qui non complet illam in ratione acci-
dentalis. Vnde non potest dubitari, quin quantitas se-
parata tam concretum accidens sit sicut coniuncta.
Nec refert quod forma ipsa accidentalitis sit instituta
ad efficiendum subiectum, quia non dicimus huius-
modi accidens in abstracto esse ens completum, sed
esse accidens completum, quod est valde diuersum:
nam accidens quantumuis in se perfectum, est inco-
pletum in latitudine entis. Et ideo ratio illa solū pro-
bat, abstracta accidētium esse incompleta entia, non
tamen esse incompleta accidentia. Imo vero idem
dicendum est de concretis ratione formalium signi-
ficatorum. Quapropter in hoc non est simile de for-
mis substantialibus: illæ enim & sunt entia incom-
pleta, & substantiæ etiam incompleta, quod illis per-
fectius est, quam esse accidentia completa. Denique
quod afferebatur de termino actionis, nihil ad rem
presens facit, quia naturalis actio tendit ad com-
positum, siue illud sit proprie vnum, siue per accidens:
tendit etiam ad formam non in se, sed in subiecto, &
ideo magis dicitur tendere ad concretū quam ad ab-
stractum, etiam si vtrumque completum sit in ordine
accidentis.

incompletum ergo accidens distinguendum est
incomplete tam in concreto quam in abstracto: v-
traque enim ratio potest in vtroque membro repe-
ri, tamen quia in abstractis concipitur (vt ita dicā)
magis pura ac præcisa ratio accidentis, in eis explicā-
dum est vtrumque membrum: facile enim deinde
poterit ad concreta applicari. Complectum ergo ac-
cidens, dicitur, quod in ratione formæ accidentalis
est integra ac totalis forma: incompletum vero ac-
cidens dicitur, quod habet rationem partis respectu
completi. Quæ explicatio patet, tum ex proprietate
terminorum, tum ex propositione sumpta ad substā-
tiam completam & incomplete, quas supra hoc mo-
do declarauimus: nam sicut substantia in suo ordine
comparatur ad totum & partem, ita & accidens in
ordine suo. Ex quo fit, sicut substantia potest esse cō-
pleta, vel incomplete Physice aut Metaphysice, ita et-
iam accidens. Dicitur autem accidens Physice com-
pletum quod neque est, neque ex se ordinatur vt cō-
ponat per se aliud accidens, quia tunc vere habet ra-
tionem totius seu integri accidentis. Dico autem nō
debere ordinari ad componendum aliud accidens,
quia licet ordinetur ad componendum cum substā-
tia vnum compositum, hoc non tollit rationem ac-
cidentis completi, eo quod illud compositum non
fit verum accidens. Adco, quod licet interdum vnū
accidens ordinetur ad actuum vel recipiendum
aliud, vt verbi gratia, potentia ad actum, vel actus ad
potentiam, nihilominus hoc non impedit, quin v-
trumque esse possit accidens completum: quia vtrū-
que in ratione sua habet integram speciem, & non
componit cum alio vnum per se, sed tantum per ac-
cidens. Ergo accidens Physice incompletum il-
lud, quod Physice completum seu integrat aliquod ac-
cidens per se vnum, vt partes, verbi gratia, quantita-
tis continuæ quamdiu sunt in continuo, tātum sunt
incomplete accidentia: gradus etiam intensiōnis e-
iusdem caloris potest dici accidens incompletum
Physice. Et punctum potest dici natura sua incom-
pletum accidens: Quo fit, vt idem accidens secundū
diuersas rationes possit dici completum & incom-
pletum. Vt communiter censetur de linea, vel super-
ficie: nam quatenus habet propriam extensionem,
est quantitas completa, quatenus vero est terminus
aut vinculum alterius quantitatis, censetur incōple-

Tom. II. Metaphys.

ta. Et eadem qualitas inchoata seu in gradu remissio-
 est essentialiter completa, entitatively autem seu in-
 tensive est incompleta. Motus etiam quatenus est ip-
 semet terminus in fieri, cessatur quid in completum;
 tamen prout est passio subiecti seu mobilis, habet
 completam quandam rationem accidentis, & suum
 constituit prædicamentum, vt videbimus.

Metaphysice autem dicitur accidens completum illud, quod habet integram essentiam alicuius accidentis. Vbi statim occurrebat quaestio, an genera accidentium possint dici accidentia completa, vel solum species vltimæ: aut indiuidua. Aut si illa sunt accidentia completa, oritur quaestio de differentiis, cur scilicet non sint etiam accidentia completa: nam sicut differentia est pars, ita & genus, & sicut genus vt possit dici de specie, concipitur aliquo modo per modum totius, ita etiam differentia. Sed hæc eodem modo expedienda sunt: quo familia de substantia tractauimus. Dicendum est enim, genera omnia, quæ ponuntur in linea recta alicuius prædicamenti accidentis, esse accidentia completa: quod ex ipso modo concipiendi, & significandi patet: quantitas enim calor, habitus, & familia, concipiuntur & significantur vt integræ formæ accidentales, siue sub generali ratione, siue sub specifica concipiuntur: quia vel expresse, vel implicite dicunt totam formam seu totam essentiam eius, & per modum totius. In quo est magnum discrimen inter differentiam & genus: nam differentia semper significatur per modum partis, saltem quoad formale significatum eius. Proprie igitur accidentia incompleta Metaphysice sunt differentiarum accidentium, & genera, si præcise sumantur vt partes, non vero absolute sumpta.

Ex quibus tandem ad primam instantiam respon-
detur, diuisionem illam accidentis in completum &
incompletum, vel præsupponi tanquam virtute seu
proportionem contentam in simili diuisione substan-
tiæ: vel certe commodius posse applicari ad singula
prædicamenta accidentium, scilicet, vt sit quantitas
completa & incompleta, & qualitas similiter, & sic
de alijs. Nam sub generali ratione accidentis vix ali-
quid potest conferri incompletum simpliciter, aut ha-
bere rationem partis, nisi ad particularia genera de-
scendantur: quia ratio accidentis imperfecta est, &
communissima, & ideo quantum est ex se, in quoci-
que modo, quantumuis imperfecto, omnino inclu-
ditur, quæ ratio in Sect. 3. examinabitur. Adde, quod
illa diuersitas in ea generalitate sumpta non est ab-
soluta, sed respectiua, nam, vt dixi, accidens, quod
est completum sub vna ratione, est incompletum
sub alia. Item non est semper differentia essentialis,
nam interdum accidens remissum dicitur incom-
pletum, licet essentialiter completum sit. Denique
non semper est diuersitas rerum, sed intentionum,
seu ex modo concipiendi nostro vt patet in differen-
tijs & speciebus accidentium. Propter hæc ergo non
accidens in completum vel incompletum, sed ab-
solute in nouem genera diuisum est. Vt hinc obiter
constet, quando dicitur accidens diuidi in nouem ge-
nera, non sumi genera proprie & rigorose, sed vt ine-
cludit omnia, quæ in vnoquoque prædicamento cõ-
stituantur, siue directe, siue reductiue. Itaque cum
accidens dicitur, aliud quantitas, aliud qualitas, &c.
non sumitur quantitas, vel qualitas prout est rigo-
rose genus: quo modo est sola quantitas vel qualitas
completa: aliàs diuisio non esset adæquata diuisio.
sumitur ergo quantitas (& idem est de alijs) in tota
sua amplitudine, licet postea ad constituendum pro-
prium genus talis prædicamenti propria ratio quan-
titatis completa accipienda sit: quod hic pro
prædicamenti omnibus sit animad-
uersum, ne id repetere ne-
cesse sit.

XIV.

XV.

Cum dici-
tur accides
dividi in
novem ge-
nera, nomē
generis late
sumendum

Expeditur secunda obiectio.

XVI. *Accidens in vniuersale, & singulare quodammodo diuiditur.*
 IN secundo exemplo de diuisione accidentis in singulare & vniuersale, seu in primum & secundum, nihil est quod immoremur, nā diuisio illa quatenus Metaphysica est, magis est diuisio vnius, quam entis vel accidentis, & ita supra tractata est disp. 4. 5. & 6. Quatenus vero pertinet ad intentiones subiicibilis & predicabilis, magis est Dialectica, quam Metaphysica: & utroque modo est generalis ad omnia entia, nec in accidentibus habet aliquid peculiare. Et quoad hoc est diuersitas inter substantiam & accidens: nam in substantia propter peculiarem substandi rationem, necessarium fuit rationem primæ substantiæ distinguere à ratione secundæ, in accidentibus vero nulla fuit necessitas. Vnde nec indiuiduum accidens consuevit appellari primum accidens respectu prædicatorum vniuersalium: nam licet in existendo, singulari sit suo modo prius quam vniuersale, tamen in hoc, vt dixi, nihil peculiare habet accidens, sed prouenit ex communi ratione singularis & vniuersalis.

Circatertiam obiectiōnem alie diuisiones explicantur.

XVII. *Accidens in entitate & modum vt diuiditur.*
 IN tertia difficultate admittimus omnia, quæ de illa diuisione accidentis in rem & modum ibi dicuntur: inde vero solum fit diuisionem illam esse immediatorem priori modo supra declarato. Nihilominus tamen hoc loco necessaria non est: primo quidem, quia diuisio illa formaliter sumpta generalior est, & substantiæ proportionaliter conuenit: & de ente in communi dari potest. eamque propterea attingimus disputatione 9. Sect. 1. & 2. Secundo, quia illa diuisio non confert ad diuidenda genera accidentium primo diuersa, nam sub eodem genere prædicamentali possunt interdum includi accidentia, quæ proprias habeant entitates, quæ tantum sint modi entium, vt sunt in genere qualitatis calor & figura. Ex quo intelligitur, illa duo membra, per quæ illa diuisio traditur, per se ac formaliter non mediate inter accidens in communi, & modos quibus determinatur ad suprema genera accidentium: nam accidens intelligitur determinari ad genus qualitatis abstrahendo ab hoc quod sit propria entitas, vel tantum modus entis.

XVIII. *Accidens in absolutum & respectuum & respectuum quomodo diuidatur.*
 Idem fere dicendum est de diuisione in absolutum, & respectuum. Nam etiā hæc diuisio magis pertinet ad communem rationem entis, quam ad propriam accidentis. Et præterea, si respectuum, vt ibi infinuatur, complectitur respectiua transcendentalia seu secundum dici, nullum est accidens, quod respectuum non sit: vnde non potest accidens diuidere. Si vero respectuum sumatur proprie pro prædicamento ad aliquid, sic nihil est vtilitatis in ea diuisione, tum quia hoc ipso quod vnum tantum genus dicitur esse ad aliquid, reliqua omnia dicuntur esse absoluta: tum etiam quia per hanc absoluti appellationem vix aliquid commune octo generibus accidentium explicatur, præter negationem ipsius ad aliquid.

XIX. *Diuisio accidentis in spirituale & materiale.*
 Ad eundem modum philosophandum est de diuisione accidentis in spirituale, & materiale, nam etiam hæc duo membra transcendunt fere omnia entia: & in substantiis primario inueniuntur, & consequenter in multis generibus accidentium: vnde non sunt apta, vt per ea descendamus ad diuidenda genera entium primo diuersa. Neque etiam sunt proprie medium inter accidens vt sic, & modos, quibus ad suprema genera determinatur: nam accidens determinatur ad qualitatem abstrahendo, à materiali vel immateriali. Et idem est dicendum de accidente naturali vel supernaturali, & similibus. Præsertim de permanente & successiuo, quod in vltimo exemplo tangitur. Quanquam illa membra iuxta opinionem mul-

torum, non semper sunt essentialiter differentia, de quo infra videbimus.

Atque eadem ratione nihil ad præsens refert diuisio accidentis in proprium & commune, quæ in diuisione prædicabili latius tradi solet: nam hæc diuisio per se ac formaliter non variat rationem accidentis, sed dimanationem eius ex subiecto. Eadem à fortiori est de accidente separabili vel inseparabili. Quod si inter hæc est diuersitas essentialis, formaliter prouenit ex modis vel differentiis prædicamentorum accidentium. Vnde interdum in diuersis prædicamentis interdum in eodem illa varietas accidentium reperitur. Atque ita obiter explicuimus non solum diuisionem hoc loco intentam, sed etiam alias, quæ de accidente tradi solent: ob hanc enim præcipuam causam illas dubitandi rationes propoluimus.

SECTIO II.

Vtrum diuisio accidentis in nouem genera sit sufficiens.



DX duobus capitibus, quæ ad sufficientiam requiruntur, oritur magna difficultas in hac quaestione. Vnum est vt omnia membra sint distincta realia in vnum concidant, & ita pauciora sint quam numerantur. Aliud est, vt præter hæc non sint alia quæ ab his genere distinguantur.

Difficultates circa distinctionem membrorum dictæ diuisionis.

Circa primum, vt supponamus nunc quantitatem & qualitatem esse distinctas, in cæteris fere omnibus est difficultas: nam relatio in re nihil videtur esse distinctum ab omnibus absolutis. Actio, etiam distinguatur à primis tribus prædicamentis, tamen & relationem essentialiter includit, & (quod difficilius est) in re non distinguitur à passione. De vbi, & quando, magna in primis difficultas est, quomodo distinguantur à tempore & loco, quæ sub quantitate collocantur, grauiorque difficultas est de duratione vniuscuiusque rei [quæ sub prædicamento Quædo collocanda videtur] quo modo ab existentia vniuscuiusque rei distinguatur: videtur enim nihil distinguere, & ideo nihil esse cur in prædicamento proprio accidentis collocetur. Præterea est difficultas de habitu, quia habitus nihil aliud est, quam vestitus, si in abstracto sumatur, aut esse vestitum, si sumatur in concreto: sed vestitus nihil aliud est quam substantia quædam tali figura vel qualitate affecta. Quod si in ea consideretur sola denominatio extrinseca quam tribuit homini vestitus, illa in primis nihil reale est, vt inter accidentia realia mereatur nominari, & deinde etiam si concipiatur vt aliquid accidentale non est quid distinctum à loco, nam vestitus non comparatur ad vestitum, nisi vt proximus locus illum circumsans. Denique situs nihil videtur esse distinctum ab vbi seu existentia, in loco, vel si quippiam addit, ad summum esse potest, aut relatio quædam partium locati ad partes loci: aut certe, quali figura quædam resultans in loco ex tali positione, qualis apparet in sedente, vel stante, &c. Nihil ergo est in hoc genere, quod in aliis contentum non sit.

Et augetur difficultas quoad hoc ipsum caput, nā illa nouem genera, vt diximus, non solum numerantur vt distincta, sed etiam vt primo diuersa: sic autem impossibile videtur tot esse prima genera. Primo quidem propter communem difficultatem de accidente in quo omnia conueniunt, de qua ex professo dicturi sumus sect. seq. Secundo quia multa ex his prædi-